

1595

*Patras ab
Hispanis
direpta.*

nis damno, se intulit; cum eodem tempore Hispani quatuordecim Neapolitanis, octo Siculis triremibus, Petro Toletano duce, Patras oppidum, in quo prædivites nundinæ habebantur, diripuissent. Ea Turcarum vel incuria vel difficultate excitati Patres, de levanda ab immensa prope sumptuum mole Republica cogitarunt. Itaque Senatus consulto latum, ut Italicus in Creta peditatus, qui sex millibus constabat, ad quatuor millia redigeretur. Inde omne studium ad novam arcem struendam conferebatur: missi in Carnos Julius Saornianus, quem Senatus munitionibus cunctis præfecerat, ac Ioannes Baptista Montius, peditum imperator, qui totam ædificandi rationem inspicerent, consultoque legato, quæ ad opus conficiendum necessaria arbitrarentur, curarent. Ac ne struendæ Palmæ pecunia deesset, ut vectigalia in singulas libras asse uno augerentur, latum: quidquid ex ea pecunia in ærarium perveniret, in Palmæ tantum sumptus erogaretur.

*Veneri ad
Palmam
construendæ
novum ve-
ctigal im-
ponunt.
Bellum in-
ter Hispa-
nos & Gal-
los.*

Dum hæc geruntur, bellum palam ab Hispanis Galliæ indicitur. In Veromanduis, Morinis, Burgundiæ ducatu, & comitatu varie pugnatum. In Veromanduis Hispanicus equitatus a Bullionio cæsus. In Burgundiæ comitatu, qui Hispaniæ parebat, oppida atque arces nonnullæ a regiis occupatæ, a Castullonenfi Conestablio, Insuabrum gubernatore, in eam provinciam cum Hispanorum ac Neapolitanorum copiis profecto, recuperantur. Bironius Marefcallus obsidione Beonam occupat. Exemplum vicina oppida sequuntur. Rex in Burgundiam profectus, Conestablium sese recipere cogit. Eodem ferme tempore Vienna ei accedit. Interea Fontanus Comes in Morinis Sciatelettum, Dorlanum, & Cameracum capit. Interim Maynius ad fidem Henrici confugit, singulari clementia suscipitur. Foedere profligato atque extincto, nova rerum facies assurgit. Rex Feram obsidione cingit, Hispanos præsidium inferre conantes disjicit, cædit. Neque inter armorum strepitus pacis studia deserit: populos venia, Principes clementia, cunctos humanitate allicit: toties a Clemente repulsam passus, perstat, ac quacumque ratione eum sibi conciliare studet; id & religioni, quam professus fuerat, consentaneum, & ad pacem in Gallia stabiliendam necessarium ratus.

*Maynius
Dux ab
Henrico in
gratiam re-
cepit.
Hispani ad
Feram ab
Henrico
cæsi.*

Ita-